



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXXII. Vicariæ, quæ quidem plenè est unita Monasterio, requirit
tamen Vicarium sæcularem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

impugnata, omnia cum requisitis solennitatibus legitime acta præsumuntur, ex generali regulâ, quod solennitates intrinsecæ, quæ ad contractum sunt necessariæ; ex temporis diuturnitate præsumantur, si ex parte ejus, cui præsumptio faveret, possessio, sciente, & patiente parte adversâ, detur.

Laym. lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 4. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 72. Palao tract. 12. D. un. p. 15. §. 2. n. 13.

66.

Solvuntur
rationes
dubitandi.

Responsio ad rationes dubitandi allatas sequitur ex dictis. Ad 1. *nam non potest de vitio subreptionis coargui Indultum hoc ex eo, quod Abbas in supplicatione sua non expresse rit statum primævum, scilicet qualitatem beneficii sæcularis, quem habebat Parochia Z. cum enim à tempore, cujus initium non extat memoria, ad hanc administrandam præsentari, & ab Ordinario sine contradictione admissi promiscuè sint Sacerdotes Regulares, vel sæculares, hoc ipso mutasse illa statum suum primævum probatur. Unde iste impertinenter, utpote extinctus, se habere censetur, & sufficit, quod expressus in libello supplicis fuerit status præsens, quem tempore supplicationis illa habuit. Hoc autem fecit Abbas, dum retulit, quod *ius præsentandi Ecclesiarum Parochialium D. & Z. ad se suumque Monasterium antiquitus, & adhuc hodierno die spectaverit, & spectet, ita, ut sine cujusque contradictione possit Religiosos sui Ordinis, & Monasterii, vel sæculares Presbyteros ad easdem assumere, & - præsentare. Hinc etiam**

67.

Ad 2. Idem indultum liberum est à vitio obreptionis; nam hoc ipso, quod successu temporis recessum fuerit ab obligatione præsentandi ad illam Vicarium perpetuum

sæcularem, per incorporationem, anno 1294. Monasterio factam imposita, & sic mutatus sit status hujus Parochiæ, nulla in supplicatione Abbatis deprehenditur falsitas. Et hoc commune est omnibus rescriptis, quibus impetratur beneficium Ecclesiasticum; in his enim impetrandis non attenditur status beneficii, quem olim habuit, sed quem successu temporis illud obtinuit, & adhuc eo tempore, quo impetratur rescriptum, legitime possidet: & sic intelligendus est textus

c. cum de beneficio §. de præb. in 6

Conclusio totius Controversiæ.

DICENDUM ergo, quod Ven. Monasterium N. jure merito prætere de possit facultatem liberam præsentandi ad Capellaniam D. Presbyterum Regularem, vel sæcularem, ad nutum amovibilem. Nam imò in hac jam à tempore immemoriali positi fuerunt promiscuè Capellani Regulares, & sæculares ante Indultum Cardinalitium. Quod proinde 2. cum sub se comprehendat etiam dictam Capellaniam, juxta dicta in *quæst. 1.* & juxta deducta ad *quæst. 3.* nullo labore vitio obvel subreptionis, legitime vel contulit, vel confirmavit qualitatem amovibilitatis ad nutum. Et quia 3. adsunt omnia ad præscriptionem complendam requisita, & post istud Indultum bona fide in ea positi, & sine contradictione admissi sunt Regulares ad nutum amovibiles, jure censetur Monasterium qualitatem hanc amovibilitatis præscripsisse. Ex quo 4. sequitur, ex *l. si contendat*, vel potius ex *l. diffamari non* Procuratorem Fisci, sed Monasterium juxta deducta ad *quæst. 2.* agere posse.

68.

CONSILIUM LXXII.

In causa constituendi Vicarii in Ecclesia Parochiali T.

SUMMARIVM.

1. *seq. Facti species.*
3. Beneficia pleno jure Monasteriis incorporata, sunt regularia.
4. Ad ea possunt nominari Regulares.
5. Beneficia Regularia dici possunt perpetua.
6. Hac perpetuitas conservatur in Rectore principali.
7. Ecclesia incorporata cum omnibus juribus, censetur incorporata quoad temporalia & spiritualia.
8. Si à Monasterio præsentantur Clerici sæculares, per hoc non immutatur status beneficii.
9. Per actus mera facultatis non præscribitur, nisi accedat prohibitio unius, & acquiescentia alterius.
10. Beneficium unitum Monasterio ad mensam, non amittit hanc unionem, etiam si per accidens in eo deputetur Vicarius perpetuus.
11. Talis enim transmutatio esset species alienationis, adeoque irrita.

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

(PPPP)

12. Pra-

12. Prajudicium Rota Romana.
13. Beneficium minus dignum censetur accessorie unitum digniori, & quidem pleno jure ad mensam, si dicatur uniri cum omnibus juribus & pertinentiis.
14. Possunt Regulares in unitis Parochiis constituere Vicarios Regulares, vel saculares amovibiles.
15. 16. Episcopus in illis non potest constituere Vicarios perpetuos.
17. Discrimen inter Vicarium perpetuum, & temporalem.
18. Vicarius temporalis ad nutum amoveri potest.
19. Conjectura, an Vicarius sit perpetuus, unde desumatur.
20. Vicariæ Ecclesiarum Parochialium unitarum non conferuntur per concursum.
21. Vicarius perpetuus constitui potest ab Episcopo, si Ecclesia non sit pleno jure incorporata, quod desumi debet ex tenore unionis.
22. Vel si Monasterium tacite renuntiavit Privilegio constituendi Vicarium temporalem.

23. seq. Ex duplici hoc capite videtur ab Episcopo constitui posse Vicarium perpetuum in Parochia quaestiois.
25. seqq. Respondetur ad argumenta opposita.
30. Moventur nova quaestiones.
31. seq. Quid possit Monasterium in Ecclesia sibi unita?
33. Beneficium pleno jure unitum alteri habetur pro extincto.
34. seq. Tale beneficium nec vacat, nec conferri potest, mortuo Rectore: vacat tamen ipsa Vicaria mortuo Vicario perpetuo.
36. 37. Ubi constitutus est Vicarius, ibi censetur alius esse Parochus principalis.
38. seqq. Indicia beneficii etiam quoad spiritualia uniti.
41. Jura Episcopi in beneficiis unitis.
42. seqq. Parochus principalis, mortuo Vicario perpetuo, potest per se, vel per alium administrare Parochiam, donec nominet alium Vicarium.

FACTI SPECIES.

I.



Ecclesia Parochialis in T. jam año 1422. ad humillimas preces Reverendissimi Domini tum Abbatis, & venerabilis Conventus antiquissimi Monasterii in N. pro sustentatione Religiosorum, ac Ministrorum ejusdem, necnon hospitalitate tenenda, pro quibus fructus, redditus, & proventus ipsius minimè suffecisse dignoscebantur, à sanct. mem. Martino V. Pontifice, cum omnibus juribus, & pertinentiis unita, & incorporata eidem Monasterio fuit, reservata tamen de hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Ecclesiæ pro perpetuo Vicario, in eà instituendo, qui illius Parochianorum animarum curam gerat, & alias in Divinis inibi laudabiliter deserviat congruà portione, de quâ idem Vicarius congruè sustentari, Episcopalia jura solvere, & alia sibi incumbencia onera valeat supportare.

2.

In hac Parochia fuerunt olim promiscuè instituti Vicarii tam Regulares, quàm sæculares, & quidem investiti, ac intitulati. Nominatim An. 1596. in dicta Parochia fuit investitus Regularis R. P. Georgius M. qui successit R. P. Matthiæ W. etiam Monacho Monasterii N. Extat investitura adhuc hodie in pergamento. Secuti sunt istos duo sæculares An. 1629. & 1635. & post hos duo Regulares usque ad annum 1650. à quo anno præsentati, & investiti sunt sæculares Clerici, scilicet An. 1650. D. Matthias H. qui vixit usque ad annum 1680. Hoc anno præsentatus est D. Chri-

stophorus B. qui Vicariatum in dicta Ecclesia gessit usque ad annum 1692. post hujus obitum investitus est D. Jacobus B. qui mortuus est 6. Julii anni 1732. præsentis. Adeoque Parochiam hanc, tanquam Vicarii perpetui, Sacerdotes sæculares tenuerunt per 82. annos. Vacante jam beneficio hoc Parochiali

QUÆRITUR,

An ab Abbate, non obstante mentione perpetui Vicarii in literis Unionis, præsentari ad Parochiam possit Regularis ad nutum amovibilis?

Fundamenta pro parte affirmativa sunt. Imò quia Ecclesia in T. Monasterio N. vi Bullæ prædictæ unita, & incorporata fuit non tantum quoad redditus, & proventus temporales, sed etiam quoad spiritualia, consequenter pleno jure: adeoque est beneficium Regulare, pro cujusmodi beneficiorum, etiam Parochialium, administratione à Prælato, & Capitularibus, quorum Monasterio sic unita est talis Ecclesia, quippe cum per hujusmodi unionem fiant ejusdem Ecclesiæ beneficiati, & Parochi principales, præsentari Vicarii perpetui, vel temporales possunt Episcopo, ab hoc examinandi, quos etiam ille, si idoneos inveniat, admittere tenetur, & instituere. Quod ulterius confirmatur

1. Ex Bulla S. Pii V. incipit, ad exequendum, ubi post medium ita habetur, Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum, seu eorum Vicariorum pravo examine

& approbatione deputentur. Et si dicta Parochiales unita erunt Monasteriis Regularium mendicantium, possint à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus, quos si Ordinarii, previo examine, per se, aut eorum Vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios (ad nutum tamen superiorum suorum amovibiles) deputare: idemque etiam servetur in Regularibus Monachis &c. Hucusque constitutio Sanctissimi Papæ cit. cum ergo Parochia in T. Monasterio N. à Martino V. per Bullam allegatam quoad omnia jura, & pertinentias unita fuerit, manifeste ex hac incorporatione, & citatâ constitutione S. Pii V. sequi videtur, quod Reverendissimus Abbas, & Monasterium N. ad curam in eâ administrandam eligere queat quemcunque Vicarium, sive sæcularem, sive Regularem, & hunc quidem ad nutum amovibilem, si in examine idoneus inventus fuerit. Cui illationi non videtur ob stare, quod in Bulla incorporationis dicatur instituendus Vicarius perpetuus; nam

5. 3. Per ea, quæ notat Clarissimus P. Petrus de Murga

p. 1. q. 1. de benefic. n. 4. fol. 4.

non dicitur beneficium perpetuum (idem est de Beneficiario perpetuo) quod auferri non possit, sed quia institutum est, ut semper duret, & uno Beneficiario cedente, vel decedente, illud alteri conferatur. Hinc non videtur obesse, quod beneficia Regularibus, ea possidentibus, auferri possint ad nutum Superiorum, eos revocantium; nam,

ut Rota in Sabinesi Archiepiscopatu 27.

Decemb. anno 1600. n. 6. & seqq. coram

Coccino Decano decidit,

Beneficia Regularia aptitudine suâ sunt perpetua, nisi ea obtinentes amoveantur, & de his judicatur, ut de perpetuis, prout sunt de sui naturâ, cum conferantur in titulum, & possint impetrari, licet obtinentes potius ratione obedientiæ, & ex vi professionis, quam ex natura beneficii possint amoveri ad nutum Abbatis, qui potest etiam non amovere. Sufficiet ergo perpetuitas in ipso beneficio, ramentum non sit in beneficiario, quia, licet hic amoveatur à Superiore, tamen jus spirituale percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, etiam hoc amoto, perpetuo manet saltem apud Rectorem principalem Ecclesiæ unitæ, in qua exponitur Vicarius, ad nutum amovibilis. Roborari hæc opinio

6. 4. Videretur ex instrumento incorporationis longè antiquioris, nempe quæ jam anno 1358. ab Episcopo A. Monasterio N. facta est respectu Ecclesiæ quæst. in quo idem Celissimus vult, ut Vicarius, perpetuo ad eandem Ecclesiam instituendus, cum ipsam vacare contingerit, sibi, & successoribus suis

A. P. Schmalzgrueber Consilia.

legitimè presentetur, ac si pro Synonymis habeantur Vicarius perpetuus, & Vicarius perpetuo instituendus: ex quo colligi videtur, sufficere, si perpetuitas conservetur vel in ipso Rectore principali, cui facta est incorporatio, vel in Beneficio in perpetuum conservando. Hinc tenor Indulti Apostolici, quo Martinus V. in Bulla incorporationis allegata vult, ut Vicarius perpetuus Ecclesiæ Parochiali in T. deputetur, non officit, quò minus Vicarius Regularis, ad nutum amovibilis, in ea exponi possit, cum sufficiat perpetuitas se tenens ex parte beneficii, vel Monasterii tanquam Rectoris principalis, quod utique vi primæ fundationis, aut dotationis perpetuum est, & ideo Vicarium perpetuum, seu perpetuo instituendum secundum sensum modò explicatum habere debet. Quod confirmatur ex Bulla S. Pii V. cit. ubi, postquam dixit, in Ecclesiis unitis deputandos esse Vicarios perpetuos, tamen addit, si Ecclesiæ Parochiales unitæ sint Monasteriis, posse ibidem exponi Regulares, ad nutum Superiorum suorum amovibiles: consequenter indicat, etiam illam Ecclesiam dici posse habere Vicarium perpetuum, quæ habet Vicarium perpetuo instituendum, licet ad nutum amovibilem. Quod argumentum eò magis videtur stringere, quia in eadem Bulla idem Sanctissimus Pontifex, sublatâ quavis aliter judicandi, & interpretandi potestate, ab omnibus sic judicari debere, & irritum, ac inane fore decernit, quidquid secus à quoquam quavis auctoritate attentari contingerit. Quod autem

5. Dicta Ecclesia in T. non tantum quoad temporalia; sed etiam quoad spiritualia, & sic pleno jure Monasterio incorporata fuerit, inde colligitur, quia juxta tenorem instrumenti incorporationis unita fuit cum omnibus juribus, ex quibus ver-

juxta Murg. tract. cit. p. 2. q. 2. §. 7. n. 36.

intelligitur unio facta ad mensam, quod

juxta Garc. de benef. p. 11. c. 2.

idem est, ac unionem factam quoad temporalia, & spiritualia. Consequenter Rector principalis talis Ecclesiæ, cui ista sic unita est, potest isti deservire per Vicarium seu perpetuum, seu temporalem, cum iste quoque perpetuus Vicarius dici possit; quia, uno deficiente, sufficitur alius, & perpetuitas semper manet in Rectore principali, quippe respectu cujus Ecclesia talis

per Clem. 1. de excess. Pralat.

numquam in veritate vacat: imò ipsa Ecclesia, seu beneficium, sic unitum Monasterio, per ea, quæ docet

Pellizarius tom. 2. p. 1. tract. 8. c. 4. sect.

4. n. 105. & 113. §. addo,

Regulare efficitur: quod confirmatur ex

(Pppp 2)

Bulla

Bulla 22. Sixti V. apud Rodriguez, ubi dicit, Ecclesias, unitas Monasteriis, non esse sæculares; ergo Regulares: consequenter illæ per exploratam doctrinam de jure Regularibus deberent conferri. Neque obstat, quod

8.

6. Jam ab 82. annis tantum Clerici sæculares, & ii quidem non ut Vicarii amovibiles ad nutum, sed ut Parochi ad Parochiam T. præsentati, & investiti sint, prout ex ipsis præsentationibus eorum patet: consequenter viâ præscriptionis Ecclesiæ hæc ex Regulari (siquidem aliquando tale fuit) transierit in statum beneficii sæcularis ex communi Canonistarum sententia. Nam, præterquam, quod dicti Sacerdotes sæculares non propriè, sed tantum impropiè appellati sint Parochi, cum principalis Parochus, & Rector Ecclesiæ quæst. sit ipse Reverendissimus Abbas, non videtur hic locum habere præscriptio; quia, quod tanto tempore nullus Regularis, sed tantum sæculares Clerici ad hoc beneficium sint præsentati, & in eo instituti, id factum est ex libera voluntate Prælati, seu Monasterii, quippe quod potuisset facere isti beneficio deserviri per aliquem ex suis Religiosis, prout fecit antiquitus. Cum ergo actus liberæ facultatis ex communi doctrina non præscribantur, per hanc præsentationem, & admissionem Sacerdotum sæcularium, tanto tempore continuatam, non fuit immutatus status hujus beneficii, nisi Prælato sciente, & patiente, iisdem Sacerdotibus sæcularibus illud fuisset concessum in titulum perpetuum, & hæc concessio habuisset effectum, ubi tamen

9.

7. Ut præscriptio contra actus liberæ facultatis locum habeat, necesse est, ut intercesserit actus, qui præscribere volentem in quasi possessione constituat, si Prælatus, volens in beneficio, Monasterio suo plenè unito, præsentare Vicarium, ad nutum amovibilem, prohiberetur hoc facere, & prohibitioni acquiesceret, aut ipsemet, judicans, se debere præsentare Vicarium perpetuum, sine clausula reservationis hoc fecisset: quod tamen in casu substrato factum non est. Exemplo est præsentatio, facta in favorem R. D. Christophori, qui inter tres ultimos Sacerdotes sæculares fuit medius; nam licet iste ab Ordinario fuerit institutus, & investitus in titulum perpetuum, tamen præsentatio illius, à Reverendissimo Abbate tum temporis facta est cum reservatione antiqui juris, ut patet ex instrumento præsentationis, ibi, *gebetten haben will, ihm die gebührende Curam animarum bemeldeter Pfarrey præstis, ab eo præstandis, in Gnaden NB. dem alten Herkommen gemäß, zu committiren.* Erat autem antiquum jus, & consuetudo conformis Indulto Martini V. cit. quo Parochia T. fuit unita ad mensam, vi cujus unionis conformiter ad Constitutionem S. Pii V. unito

sic beneficio Prælatus Monasterii, cui unio sic facta est, tanquam Rector principalis, deservire beneficio tali potest per Vicarium sive sæcularem, sive Regularem, etiam ad nutum amovibilem, talemque Ordinarius, ubi post examen idoneum illum invenerit, tenetur beneficio illi deputare, & curam animarum eidem concedere, Si verò

8. Ex aliquo accidenti pro beneficio, alicui communitati Regulari unito ad mensam, Vicarius perpetuus deputetur, perea, quæ docet cit. de Murga fol. 70. n. 28. hæc perpetua deputatio non tollit unionem ad mensam, neque facit, ut principalis non remaneat verus, & proprius Parochus, & Rector talis Ecclesiæ, & beneficii, cum ad erectionem Vicariæ temporalis in perpetuum non inferatur translatio totalis, & absoluta curæ in Vicarium perpetuum. Proinde per hoc, quod ex aliquo accidenti, v. g. ob penuriam Regularium, aut alias quascunque demum causas ad beneficia sic unita Monasterio sint instituti Vicarii etiam perpetui sæculares, non mutatur ratio unionis ad mensam, consequenter non tollitur Prælato, seu Monasterio, cui tale beneficium sic unitum est, facultas, tali Vicario perpetuo decedente, substituendi Vicarium temporalem, etiam Regularem, quippe quæ facultas est propria tali unioni, ita quidem, ut vi Constitutionis S. Pii V. cit. nec Ordinarius, nec Prælatus, seu Monasterium de tali beneficio sine expresso consensu Pontificio aliter unquam validè disponere potuerint, vel etiam defacto possint, quod fieret, si Prælatus, aut Capitulum regulare beneficium, Monasterio unitum ad mensam, sine consensu Pontificio, transmutaret in sæculare. Imò

9. Hæc transmutatio haberet vim alienationis, jure communi prohibita; alienaretur enim jus Ecclesiæ, quod rei immobili æquiparatur, sine solennitate adhibita; quod per *extrav. ambitiosa*, severissime prohibetur, nempe sub poena privationis omnium officiorum, vocisque tam activæ, quam passivæ &c. quam ipso facto, absque præviâ declaratione incurrant, etiam si justa adesset alienationis causa, & res, vel jus tale ab una Ecclesia alienaretur ad aliam Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas. Et hoc maxime procedere videtur in casu substrato, ubi incorporatio beneficii quæst. est facta à summo Pontifice, sine cujus proin consensu status illius immutari non potuit, nec potest vel ab Ordinario, vel ab Abbate, aut Capitulo, utpote inferioribus summo Pontifice: præsertim accedente Constitutione S. Pii V. sæpius allegatâ, ubi sublata est inferioribus Pontifice in materia substratâ omnis potestas aliter judicandi, vel interpretandi, nec non irritum, & inane esse decernitur,

10.

II.

nitur, quidquid secus à quoquam quavis auctoritate contigerit attentari: quæ clausula irritans, cum appositæ sit per modum Legis generalis inficit nedum titulum, sed etiam possessionem.

12. 10. Facit huc decisio Rotæ

in Berthufana Vicaria 22. April. 1624.

ubi agebatur de Vicaria Ecclesiæ Parochialis de Beniana, unitâ mensæ Capitulari Berthufenſi, ita, ut cura habitualis translata fuerit in Capitulum, & in Vicarium curæ duntaxat exercitium. Cum verò hæc Vicaria, & aliæ quatuor, nimirum de Almasora, de Villareal, de Calaisit, & de Villafarnes, etiam unitæ ad instar illius de Beniana fuerint postea de amovibilibus effectæ perpetuæ ab Ordinario, & hic per plures collationes hæc Vicarias solitus fuerit conferre liberè per concursum, nullâ spectatâ electione sive nominatione Capituli, quærebatur, utrum in favorem Ordinarii dandum sit mandatum de manutenendo, responsum fuit negative ob sequentes rationes. 1. Quia constitutio S. Pii V. non exigit concursum in his Vicariis, licet habeant curam animarum actualem, sed mandat Vicarios perpetuos deputari ad electionem, & nominationem illorum, quorum Ecclesiis factæ sunt uniones, cum approbatione tamen Ordinarii, & prævio examine: quæ Constitutio est servanda, quia dat formam, & præceptum præfixum, simulque quatuor annis est posterior Tridentino. Neque obstat, quod Ordinarius Vicarias istas hucusque contulerit, solo præcedente concursu, & Capitulum non contradicendo censeatur consensisse; nam 2. cum in Capituli, ad quod spectat nominatio Vicarii, facultas sit nominare vel unum solum, qui prævio examine admittatur, vel nominare plures, inter quos fiat concursus, & ex his eligere magis idoneum, ex non usu hujus facultatis, sive ex permissione, ut fiat concursus, non potest dici Episcopo acquisita possessio juris negativi, quod Capitulum non possit nominare aliquem, cui extra concursum fiat provisio cum solo examine Episcopi. 3. Quia non probatur, quod nominatio aliqua Capituli ad Vicarias prædictas fuerit rejecta ab Ordinario, & ita devotum fuerit ad actum prohibitionis, seu contradictionis cum subsecuta acquiescentia Capituli, prout requiritur ad effectum, ut amittatur jus, seu Privilegium, & inducatur contraria quasi possessio in facultativis. 4. denique quia etsi Episcopus probationem hujusmodi prohibitionis cum acquiescentia Capituli præstitisset, inde tamen aliud inferri non posset, nisi error tam Episcopi, quam etiam Capituli, falso putantium, tales Vicarias esse de jure Patronatûs Ecclesiastico ipsius Capituli: quo casu quidem fuissent conferendæ per concursum; sed

quia de tali jure Patronatûs non constat, sed solum de simplici unionem dictarum Ecclesiarum Parochialium, factâ Capitulo cum facultate nominandi Vicarium juxta Constitutionem S. Pii V. cit. non potuit constitui Episcopus per hoc, quod eas hucusque contulerit cum concursu, in legitima, & manutenibili possessione conferendi dictas Vicarias per concursum, non expectatâ nominatione Capituli gaudentis privilegio nominandi; actus enim erronei carere dicuntur consensu, atque scientiâ, & patientiâ errantium.

Præmissis duobus præsuppositis, tanquam certis, & innegabilibus, scilicet 1. Quod Ecclesia Parochialis in T. sit accessorie unita Monasterio N. quod præter alia ex duobus colligitur. Et 2. Quod quidem, quia in instrumento incorporationis, cuius tenor ante omnia in hoc puncto inspicendus est, jubetur Delegatus Apostolicus Ecclesiam prædictam præfato Monasterio in perpetuum unire, incorporare, & annexare: quæ verba teste

Carol. Anton. de Luca in *observat. ad annot. 8. §. 1. tom. 2. Ventrigliæ n. 3. & aliis communiter,*

indicant, Ecclesiam talem esse unitam accessorie 1. Quia unio hæc facta est de beneficio minus digno ad dignius, nempe de Ecclesia Parochiali ad Abbatialem; semper enim præsumitur illud, quod minus dignum est, accessorie unitum esse digniori inter unita, ita, ut magis dignum trahat ad se, quod est minus dignum, ut

arg. c. in dubiis 3. de consecr. Eccl. vel Altar. & l. si tamen 26. inst. de rer. divis. ac l. quæ Religiosis 43. ff. de Re V. colligit Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. §. 5. n. 129.

2. Quod Ecclesia memorata dicto Monasterio sit unita ad mensam & pleno jure, scilicet quoad temporalia simul, & spiritualia: quod patet ex verbis Bullæ Martini V. super hac incorporatione datæ, ibi, cum omnibus juribus, & pertinentiis; nam Ecclesiæ, quæ cum tali clausula uniuntur, dicuntur unitæ ad mensam, & pleno jure, ita, ut populus quidem, si talem habeat, & Ecclesia Parochialis sit, & maneat subiectus Episcopo Diocesis, ipsa tamen Ecclesia cum bonis, & cum administratione eorum concedatur Prælato, cujus Monasterio illa unita, & incorporata est, ut dixit

Rota in *Theatina jurisdictionis coram Cocino 4. Maji 1612. apud Pasceucc. p. 2. cit. de Parocho. fol. 217.*

ubi decidit, quod Ecclesiæ, quæ conceduntur, & uniuntur perpetuo cum bonis, & administratione illorum, debeant dici effectæ de mensa Monasterii Monachorum, & verba ista non importent simplicem unionem, sed quod Ecclesia talis, sic unita,

(Pppp3)

fiat

13.

Præsupponenda.

fiat de mensa Monasterii: quo fit, ut per talem unionem beneficium sic unitum quasi extinguatur, & fiat membrum, ac quasi prædium Ecclesiæ, cui facta est unio.

Rebuff. *prax. tit. de union. benefic. n. 12.* Sanch. *l. 7. moral. c. 29. n. 146.* Laym. *l. 4. tract. 2. c. 9. n. 2. §. alter modus.* Palao *tract. 13. D. 6. p. 12. §. 1. n. 4.* accinente Rotā in *Barchinonensi Vicaria coram Merlino 17. Maij 1624.* apud Corrad. *prax. benefic. l. 3. c. 3. n. 5. §. Decimus tertius casus.* & refert Leuren. *for. benef. p. 1. sect. 1. c. 3. §. 2. q. 120.* ex Card. de Luca de *prab. disc. 37. n. 38.*

14. His suppositis, & seclusā omni aliā clausulā contrariā, in instrumento unionis contentā, dicendum, Abbatem, seu Monasterium, cui Ecclesia Parochialis tali modo unita est, de jure posse pro cura talis Ecclesiæ exponere Vicarium temporalem, & ad nutum amovibilem, præsentandum tamen Ordinario pro examine, ita quidem, ut, si iste in hoc examine tales Vicarios idoneos invenerit, teneatur illos ad curam animarum exercendam deputare, neque possit in eorum nominatione, vel amotione, vel alicujus partis fructuum consignatione ullo pacto se intromittere. Patet ex

Const. S. Pii V. incipit, *et si mendicantium.* editā 1567. §. 3. apud Cherub. *Bullar. tom. 2. Const. 41.*

ubi de Regularibus mendicantibus, *Regulares mendicantes*, quibus cura animarum est, possunt per seipsos juxta superiorum suorum ordinationem, aut alios Vicarios, seu Capellanos sæculares, ipsorum Regularium nutu amovibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos, præfatam curam exercere; neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicujus partis fructuum consignatione pro præfatis Capellanis, seu Vicariis sæcularibus, si per tales curam exerceri contigerit, Episcopi ullo pacto se intromittat. Quod repetitur in ejusdem Sanctissimi Pontificis

Const. incipit *ad exequendum*, num. 4. alleg. §. 5. editā dicto anno 1567. apud Cherubin. *tom. 2. Bullar. Const. 47.*

ubi dicitur, quod, siquæ Parochia unita erant Monasteriis Mendicantium, possint à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis mendicantibus, quos si Ordinarii, prævio examine, ad curam animarum exercendam idoneos invenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles, deputare. Quod in eadem Constitutione idem Sanctissimus Pontifex, jubet etiam servari in Regularibus Monachis. Sicque etiam respondit

Sacr. Congr. Concil. in *Auriensi*, 1576.

Ex his sequitur imò non posse Episcopum in Ecclesiis Parochialibus, effectis de mensa Monasterii Monachorum constituere Vicarios perpetuos; nam in his Ecclesiis non est locus deputationi Vicarii perpetui, sed Abbas potest retinere in illis Presbyterum sæcularem, ad nutum amovibilem, qui ipsum in cura adjuvet, juxta decisionem

Rotæ in *Theatina cit.* & confirmatum est per S. Congr. Concil. in *Affisiensi*, & antea in *Auriensi* 24. Jul. 1576. ac in *Perusina* 1578. 18. Januar. apud Pascucc. in *compend. ad consult. Jacob. Pignat. p. 2. tit. de Parocho. fol. 218.*

Neque contrarium probat id, quod decretum est à

Sacr. Congr. Episcop. in *Lucana* apud Nicol. in *Flosc. V. cura animarum. n. 6.*

ubi dicitur, quod cura Ecclesiarum unitarum, si sunt pingues, debeat exerceri per Vicarium perpetuum; si verò tenues, per amovibilem; nam hoc ad vitandam correctionem constitutionum num. *præc.* allegatarum intelligendum est de Ecclesiis quoad temporalia tantum, non verò etiam quoad spiritualia, & ad mensam unitis. Et ratio sic statuendi quoad has Ecclesias, si tenues sint, esse potuit; quia, cum unio talis debeat habere suum effectum quoad Ecclesiam, cui unio facta est, & propterea hæc debeat habere emolumentum aliquod temporale, parum relinqueretur Vicario perpetuo, qui propterea, quod Vicaria perpetua conferatur in titulum, congrue institui tali casu non potest; deberet enim habere congruam ad onera, Parochis, quibus Vicariæ tales æquiparantur, supportanda, quæ onera supportare Vicarius temporalis non tenetur. Proinde

Sequitur 2. in Ecclesia Parochiali unita sufficere, si ad curam animarum ibidem exercendam deputetur Vicarius temporalis, ab Ordinario approbatus, nisi tamen subsit spes, quod brevi populus, & animæ revertantur ad actum, & ita dissolvatur unio, juxta declarationem

S. Congr. Concil. 26. Jul. 1614. apud Nicol. in *Lucubr. tom. 2. lib. 3. tit. 4. n. 23.*

quæ tamen exceptio cessat in casu, ubi facta est unio perpetua. Unde in hoc casu unionis perpetuæ, quæ Ecclesia Parochialis unita est Monasterio, de jure deputatur Vicarius amovibilis juxta

c. in *Ecclesiis 1. de Capell. Monach. Sanch. l. 7. moral. c. 29. n. 104.* Gonz. ad *Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 6. n. 31.* apud Rotam in *Pampilon. jurium Parochialium, coram Bevilacqua. decis. 10. n. 2. part. 14. recent.*

Et quidem, si Ecclesia talis Monasterio sit unita pleno jure, seu ad mensam, & quoad

quoad temporalia simul, & spiritualia, nominatio illius, & præsentatio spectat ad Monasterium, cui unita hoc modo est talis Ecclesia, prout respondit

S. Congr. Concil. in *Aseulan.* apud Monacell. in *Formular. Legal. pract.* p. 2. tit. 15. form. 1. n. 32.

nam Vicarios amovibiles deputare, seu nominare spectat ad illum, qui est Parochus, & habet curam animarum.

Gloss. in *Clem. un. col. 4. §. quidam etiam V. ad mensam. de excess. Pralat.* Lotter. de re benef. l. 1. q. 33. n. 93. cum tribus decisionibus citatis à Rota in *Hispalensi decimarum de Olivares coram Bourlemont* decis. 498. n. 21. tom. 2. part. 19. recent.

ubi num. seq. dictum fuit, quod deputatio Vicarii amovibilis pro exercitio curæ, facta à Prælato inferiori, ostendat, hunc esse Parochum universalem, & eum, qui ab ipso deputatus est, exercere curam, tanquam nudum ministrum ejusdem ex

Rota decis. 93. p. 16. recent. n. 2. & seqq.

17. Ex quo sequitur 3. discrimen inter Vicarium perpetuum, & temporalem. Nam imò Vicarius perpetuus acquirit titulum verum in Vicaria suâ, & in ipsum transfertur non solum exercitium curæ, sed etiam omnimoda cura, ita, ut ille, cujus iste Vicarius est, sine hujus licentia in administrationem curæ se immiscere non possit. Contrà Vicarius temporalis, & ad nutum amovibilis, ad curam animarum in Ecclesia unitâ deputatus, habet nudum exercitium, & nomen cum jure congruæ; ipsa autem cura habitualis residet penes Superiorem, cui talis Ecclesia unita est.

Gloss. in *Clem. un. V. ad mensam. §. ut videtur. de excess. Pralat.* Gabr. conf. 190. n. 10. Gonz. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. §. §. 7. n. 128. Garc. de benef. p. 12. c. 2. n. 55. Gratian. discept. for. c. 892. n. 5. in fin. Lotter. de re benef. lib. 1. q. 33. n. 93. apud Rotam in *Pampilonensi jurium Parochialium coram Bevilacqua.* decis. 10. n. 2. & 3. part. 14. recent.

Hinc addo. Vicarius perpetuus propriè instituitur ab Episcopo; quia, ut dictum est, titulum propriè dictum vi institutionis istius accipit. Contrà Vicarius temporalis, quia habet duntaxat exercitium curæ, propriè non instituitur; sed Abbas, seu Monasterium, cui Ecclesia talis est unita ad mensam, & pleno jure, illum nominat, autorizabili institutione approbandum ab Episcopo, ut pluribus DD. cit. firmavit

Rota in *dicta Pampilonensi jurium Parochialium* n. 11.

Et propterea 3. institutio Vicarii perpetui, quia fit cum titulo, etiam ipsa perpe-

tua est; institutio autem; quæ fit ab Episcopo de Vicario, nominato per Abbatem pro Ecclesia pleno jure unitâ, quia tantum est autorizabilis, est tantum accessoria, & temporalis, nec talis institutio alterat nominationem temporalem ejusdem Abbatis: impossibile enim est, Abbatem nominare Vicarium ad nutum amovibilem, Episcopum verò illum perpetuò instituere.

Rota in *Pampilonensi cit. n. 8. & 9.* quia Vicariæ statum de amovibili ad perpetuum mutare minimè potest, ut dixit eadem

Rota in *Pampilonensi Vicaria. decis. 62. n. 29. part. 15.*

Et hinc Vicarius, constitutus ab Abbate, licet deinde ab Episcopo instituatur, non tamen definit esse amovibilis: contrà verò deputatus ab Episcopo per viam collativæ institutionis debet esse perpetuus.

c. un. de Capell. Monach. in 6. Host. in c. literas. n. 2. §. & est verum. de supplend. neglig. Pralat. alique cit. à Rota in *dicta Pampilonensi jurium Parochialium* n. 6. & 7.

18. Sequitur 4. Vicarium perpetuum, quia autoritate legitimâ canonice instituitur, ad libitum, & extra casus in jure expressos amoveri non posse: contrà verò temporalem posse amoveri à Vicaria, ipsi conceditâ, ad nutum, & libitum ejus, à quo constitutus est; quia non propriè, ut dictum est, instituitur, sed tantum, prævio examine de idoneitate, ab Episcopo approbatur. Neque obest, quod hæc illius institutio ab Episcopo fieri debeat non ad tempus, sed indefinitè, ita, ut respectu ipsius institutionis gaudere Vicariâ sibi commissâ possit toto tempore suæ vitæ, & sic Vicaria sit perpetua; nam, ut dixit

Rota in *dicta Pampil. jur. Paroch. n. 37. & duobus. seqq.*

hoc intelligi debet, si non revocetur. Hinc amovibilitas Vicarii non excluditur per hoc, quod non doceatur, eosdem Vicarios nunquam fuisse amotos; amovere enim Vicarios amovibiles, vel illos non amovere in mera facultate consistit, quæ non amittitur per non usum, nisi ulterius concurrat prohibitio, & acquiescentia.

Rota in *Pampil. Vicar. cit. n. 22.* Vicarius enim in unione factâ pleno jure, nisi aliter disponatur in instrumento unionis, debet esse ad nutum amovibilis.

Gloss. in *Clem. un. V. ad mensam. in fin. de excess. Pralat.* apud Rotam in *dicta Pampilon. jur. Paroch. n. 42.*

Similiter non obstat amovibilitati, etiam si Episcopus in approbatione Vicarii, pro Ec-

Ecclesia pleno jure unitâ deputati, utatur verbis *pro toto vita tempore*; neque enim ex his verbis inferri legitime potest, quod ille voluerit mutare statum Vicarii amovibilis.

Rota in Pampil. Vicar. cit. n. 41.

Et quidem quoad amotionem talis Vicarii temporalis, deputati pro Ecclesia Parochiali, pleno jure unitâ Monasterio, juxta Constitutionem S. Pii V. incipit *etsi mendicantibus* num. 14. allegatam non potest se ingerere Ordinarius; sed potest ille amoveri ad libitum Abbatis, quoties detegitur facta fuisse unio perpetua.

Rota in Pampil. Vicar. cit. n. 9.

nam sicut ex amovibilitate perneceffe resultat, unionem esse plenariam tituli extinctivam, ita vicissim ex ista, & non ex alia, factâ pleno jure, resultat amovibilitas, ut dixit eadem

Rota in Pampil. cit. n. 22.

Et hæc amovibilitas maximè locum habet in Vicariis Regularibus; licet enim Prælati Monasteriorum, quibus Parochiales Ecclesiæ pleno jure unitæ reperiuntur, ad eas possit nominare Vicarios Regulares, tamen deputationes eorum in Vicarios fieri debent ad nutum, cum approbatione tamen Ordinarii, per ea, quæ monet

Rota in dicta Pampil. n. 6.

19.

Sequitur s. conjecturam, an aliquis Vicarius sit perpetuus, vel temporalis, desumi ex tenore instrumenti unionis; nam si Vicario assignata fuerint omnia bona, & redditus Parochiales, in eum translata censetur tota cura, & haberi ille debet pro Vicario perpetuo, licet partem fructuum debeat numerare illi, cujus Vicarium agit.

Rota in Milevitana. decis. 400. n. 2. p. 18. recent. tom. 1.

Et tunc Vicaria perpetuè collata censetur in titulum, quæ collatio tamen non excludit, quin cura per modum juris, & in habitu sit apud Abbatem, cujus Monasterio unita est talis Ecclesia.

Rota in Gerundina Hebdomadaria coram Ursino. in additam. Card. de Luca vol. 1. decis. 27. de benefic. fol. 211.

Contrà verò, si Vicarius percipiat congruam, sive salarium è manibus alterius, vel observantia adsit deputandi Vicarios ad libitum, & assignandi eis salarium simplex; hoc enim amovibilitatem eorum denotat.

Joan. Andr. in c. exposuit. n. 8. de præbend. Felin. in c. postulasti n. 1. §. aut perceptio. Rota in Gerundina beneficii coram Arnoldo decis. 3. n. 3. tom. 1.

20.

Sequitur 6. in beneficiis, quando in Vicarium transfertur non solum exercitium curæ, sed etiam omnimoda cura, locum esse collationi per concursum; & tunc nihil refert ad hunc effectum, an Vicarius

sit perpetuus, an verò ad nutum amovibilis.

Rota in Ussiponenfi concursus coram Remboldo 1. Jun. 1515. apud Barbosa. de potest. Episc. p. 3. alleg. 60. n. 31.

Contrà verò Vicariæ perpetuæ Parochialium Ecclesiarum unitarum, attentâ validitate unionis, non conferuntur per concursum, sed solum ad nominationem, seu præsentationem illorū, quorum dignitati, Collegio, vel Monasterio Ecclesia Parochialis est unita, & annexa; quia cum Ecclesia unita omnino suppressa maneat, & efficiatur prædium ipsius Ecclesiæ, cui facta est unio, utique Prælati ejusdem Ecclesiæ est etiam Rector, & Prælati Ecclesiæ unitæ.

Rota in Barchinonenfi Vicaria coram Merlino 17. Maji 1624. apud Corrad. prax. benef. l. 3. c. 3. n. 5. §. decimus tertius casus. Card. de Luca de præb. disc. 37. n. 38. Leuren. for. benef. p. 1. sect. 1. c. 3. §. 2. q. 120.

Porro Constitutiones S. Pii V. & Gregorii XIII. in materia unionis, licet loquantur de Vicariis perpetuis, habent tamen locum in Vicariis amovibilibus, ut dixit

Rota in Pampil. Vicaria. n. 7.

Dixi autem num. 14. seclusâ omni aliâ clausulâ contrariâ, in instrumento contentâ, Abbatem, seu Monasterium, cui Ecclesia Parochialis ad mensam, pleno jure, & cum omnibus juribus, & pertinentiis unita est, posse de jure pro cura talis Ecclesiæ exponere Vicarium temporalem, sive sæcularem, sive (quod addidi num. 18. in fine) etiam Regularem, ad nutum ipsius Abbatis, vel Monasterii amovibilem. Nam excipi debet imò si clausula in instrumento unionis sit addita, per quam declaratur, quod in beneficio, vel Ecclesiâ unitâ sit ponendus Vicarius perpetuus; nam vis tota unionis pendet ex tenore instrumenti unionis, nec illa vim majorem habet, quàm quantam ipsi tenor instrumenti tribuit. Neque aliud probatur ex duabus Constitutionibus S. Pii V. num. 14. allegatis; nam in his idem Sanctissimus Pontifex quoad Ecclesias, Monasteria Regularium ad mensam, seu pleno jure unitas, censetur voluisse tantum derogare, vel potius declarare Decretum S. Conc. Trid. quod sess. 7. c. 7. de reform. statuit, in beneficio, non plenissimè unito, ab Episcopo posse, & ordinariè debere poni Vicarium perpetuum, etiam in casu, quo antea semper Vicarius temporalis, & ad voluntatem Prælati, Monasterii, vel Capituli, cui unicum illud est, amovibilis beneficium tale habuerit, ut notant

Laym. in c. 2. n. 8. de supplend. neglig. Pralat. & in QQ. Canon. de elect. Pralat. q. 207.

- q. 207. Barbof. in c. 31. de Prab. & dignit. n. 1. Passerin. in c. 1. n. 9. eod. in 6. Leuren. for. benef. p. 3. q. 718. n. 4. Clericat. de benef. discord. 75. n. 20. Pirhing ad diff. tit. de Prab. n. 218.

Excipiendas ergo idem Pontifex in dictis Constitutionibus voluit Ecclesias, pleno jure unitas Monasteriis, ibi antehac potestas erat constituendi Vicarium temporalem, & statuere, ut Prælati earum possent pergere adhuc post dicti Concilii dispositionem de Vicario perpetuo constituendo, in deputando ad eas Vicario temporali, nam Privilegia, etiam à Pontifice concessa, ita intelligi debent, ut quàm minimè derogent juri communi, quale jus hodie faciunt Decreta dicti Concilii.

22. Excipitur 2. nisi longissimo tempore talis Ecclesia Parochialis administrata fuerit per Vicarium sæcularem, præsertim intitulum, & ad constitutionem illius factam ab Episcopo secuta sit acquiescentia Monasterii, non opposentis se deputationi eorum; tunc enim præscriptionem contra Monasterium, & sublata illi censetur potestas exponendi Vicarium Regularem, licet illam antea de jure, vel de facto habuisset, ut cum communi aliorum notant

Laym. & Pirhing l. cit.

Imò si Prælati cum Capitulo, vel Conventu tali tempore, ut ex hujus lapsu præsumatur animus se abdicandi Privilegio constituendi Vicarium Regularem, vel etiam sæcularem ad nutum amovibilem, acquiescat ad constitutionem Vicarii perpetui, ab Episcopo factam, & cum scientia juris sui non contradicat, censetur renuntiassè huic suo Privilegio; cum enim hoc Privilegium sit onerosum Episcopis, utpote quibus per hoc tollitur potestas ponendi in Ecclesia unita Monasterio Vicarium perpetuum, per Tridentini Decretum competens, illud per usum contrarium, etiam per tacitam renuntiationem tolli potest, nisi adversus hunc usum protestatio interponatur; qui enim sciens, & volens exercet, vel sine protestatione admittit actum contrarium privilegio, in foro externo præsumitur velle renuntiare Privilegio suo.

Suar. lib. 8. de LL. c. 35. n. 7. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 23. Palao tract. 3. D. 4. p. 19. n. 3. Pirhing ad tit. de privil. n. 178. Reiffenstuel ibid. 213.

22. Ex hoc ergo duplici capite in casu sub-
Deciditur
questio. strato difficulter poterit obtineri, vel defendi potestas exponendi in Parochia T. Vicarium Regularem; nam imò in instrumento unionis factæ à Martino V. expressè addita fuit clausula, *reservatà tamen de hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Ecclesia pro perpetuo Vicario in eà in-*
R. P. Schmalzgrueber Consilia.

situendo - - congrua portione: adeoque Vicaria ista conferenda est in titulum perpetuum, & sic facta est beneficium sæculare, cujus cum capaces non sint Regulares (nam sæcularia beneficia conferenda sunt sæcularibus, sicut Regularia Regularibus) dicta clausula expositioni Regularis Vicarii (quippe cum Regulares titulum perpetuum in beneficiis obtinere non valeant) obstare censenda est. Neque aliud probat, quòd jam anno 1596. administraverit hanc Parochiam R. P. Georgius M. & ante hunc R. P. Matthias W. uterque ex Monasterio N. quos anno 1635. usque ad annum 1650. secuti duo alii ex eodem Monasterio; nam hoc fieri potuit propter penuriam Sacerdotum sæcularium, quæ facile contingere potuit ob grassantia eo tempore bella, & pestem; nam, ut dixit

S. Congr. Episcop. in Tortonesi, & antea in Ferentina 8. Aug. 1581. apud Nicol. in floscul. V. cura animarum n. 13.

quando pro Parochiis vacantibus non inveniuntur Presbyteri sæculares idonei, possunt ibi poni Regulares, non in titulum, sed ad nutum amovibiles. Quòd verò prædicti Vicarii Regulares etiam investiti, ac intitulati fuerint, factum est contra jus jam tum vigens, ut patet ex Decreto dictæ S. Congreg. cit. Hinc fortasse intervenit dispensatio Apostolica.

Alterum caput est, quia, cum ab anno 1650. usque ad præsens adeoque per 82. omnino annos Parochiam istam administraverint Vicarii sæculares, itaque investiti, adeoque perpetui, videtur juri ponendi in hac Parochiali Vicarios Regulares esse præscriptum; nam tempus hoc est longissimum, & ex Privilegio, sacro Ordini S. Benedicti indulto per Eugenium IV. pro præscriptione contra istum duntaxat dantur 60. anni. Quodsi Congregationi Cassinensi concessi fuerunt anni 100. & in hoc Privilegio indulta per Urbanum VIII. fuit communicatio Monasterio N. præscriptio quidem per lapsum annorum 82. non fuisset completa, bene tamen argueretur renunciatio tacita ex hoc, quòd Monasterium tres ultimos Vicarios sæculares investire permiserit, & non contradixerit: quæ acquiescentia colligitur ex eo, quòd, cum D. Christophorus B. anno 1680. præsentatus à Monasterio Ordinario fuerit sub terminis, *gebetten haben will, ihm die gebührende curam animarum bemeldter Pfarr T. præstitis præstandis, in Gnaden, dem alten Herkommen nach, zu committiren* &c. hæc præsentatio fuerit remissa ad Monasterium, & petita, ut adderentur verba, *und auf gedachte Pfarr zu investiren*, cui petito Reverendissimus Abbas acquievit, & novæ præsentationi hæc verba addidit, sicque sibi præ-

(Q999)

24.

præjudicavit, & tacite renuntiavit Privilegio exponendi Vicarium Regularem, si quod habuit, ad quam renuntiationem non requiritur tempus tantum, quantum ad præscriptionem, sed tantum solummodo, ut ex illius lapsu præsumi possit animus abdicandi se Privilegio suo. Ex hæcenus dictis fuit responsio ad fundamenta pro Monasterio allata.

25.
Respondetur ad rationes dubitandi.

Ad 1^{um} concedi potest ex dictis num. 12. & 13. quod Parochia quæst. per Martinum V. fuerit Monasterio N. incorporata in perpetuum, & effecta de mensa dicti Monasterii, adeoque, seclusa clausula limitante, per ea, quæ dicta, & probata sunt num. 14. & seqq. vi hujus unionis de jure Reverendissimus Dominus Abbas potuisset pro cura memoratæ Ecclesiæ exponere Vicarium vel sæcularem, vel Regularem, temporalem, & ad nutum amovibilem. Et hoc recte probatur ex Constitutione S. Pii V. in 2. fundamento, pro affirmativa parte proposito, allegatâ. Ad 3. non est hic sermo de ipso beneficio quæst. an sit perpetuum, vel temporale, seu manuale, quippe quod per hujusmodi unionem fuit extinctum, & factum quasi prædium Monasterii, sed de Vicaria dictæ Ecclesiæ. Hanc autem verba Bullæ Martini V. pro incorporatione hujus Parochiæ indultæ, ibi, *reservatâ tamen ex fructibus ipsius Ecclesiæ pro perpetuo Vicario, in eâ instituendo - congrua portione*, probant esse perpetuam; nam Vicarius perpetuus ex communi DD. ille dicitur, qui in aliqua Ecclesiâ, assignatâ sibi ex hujus proventibus debitâ portione ad sustentationem congruam, autoritate legitimâ Canonice instituitur, ita, ut ad libitum, & extra casus jure expressos amoveri nequeat. Contrâ temporalis dicitur, qui solum constituitur ad tempus, quamvis indefinitum, ita, ut ex redditibus Ecclesiæ, cui servit, vivat quidem, quamdiu ei servit, ad nutum tamen, & libitum ejus, à quo constitutus est, amoveri possit. Et verò, quod ipse Pontifex prædictus voluerit institui Vicarium perpetuum verè talem, colligere ex eo licet, quod jussit Vicario constituendo assignari talem portionem, de qua ipse non solum congruè sustentari, sed etiam Episcopalia jura solvere, & alia sibi incumbantia onera valeat supportare: quæ jura solvere, & alia onera supportare non tenetur Vicarius temporalis, sed Parochus principalis, cum tali Vicario ex fructibus Ecclesiæ, quam procurat, assignetur tantum simplex salarium, ut dictum est num. 19. in fine. Hinc ad hoc, ut quis dici possit Vicarius perpetuus, non sufficit perpetuitas beneficii, pro quo ille constituitur (nam etiam in beneficiis perpetuis poni possunt Vicarii temporales) sed requiritur perpetuitas Vicariæ, ita, ut hanc obtinens, ut supra dictum est, ad libitum, & extra casus

jure expressos amoveri ab ea nequeat. Ex quo cadit, quod dictum est

Ad 4. nam juxta nunc dicta Voces *Vicarius perpetuus*, & *Vicarius perpetuo instituendus* 26.
non aliter sunt synonyma, nisi posteriora hæc verba sumantur pro Vicario, perpetuo jure instituendo; aliâ enim omnis Vicarius, in Beneficio perpetuo institutus, licet secundum se amovibilis foret, dici posset esse perpetuus, quod definitioni num. præced. datæ repugnat. Constitutio Piana cit. distinguit inter beneficia, & Ecclesias unitas Monasteriis quoad temporalia tantum, & inter unitas etiam quoad spiritualia. In unitis quoad temporalia tantum, vult deputari Vicarios perpetuos, & non amovibiles, quales Vicarii de jure esse non possunt Vicarii Regulares: in unitis verò etiam quoad spiritualia concedit exponi posse Vicarios temporales, & ad nutum amovibiles, adeoque etiam Regulares, nisi, ut dictum est num. 21. aliud disponatur in instrumento unionis. Et in hoc sensu procedere censetur clausula, irritans dispositionem contrariam, Constitutioni prædictæ addita. Hinc non obstat, quod dicitur in fundamento 5. pro parte affirmativâ, quod scilicet Ecclesia Parochialis in T. Monasterio N. sit unita tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia, adeoque ad mensam illius, & pleno jure; nam Pontifex, cum sit conditor juris Ecclesiastici, & supra illud, quasunque uniones, & quorumcunque beneficiorum, cum quibuscunque limitationibus potest concedere, adeoque etiam potuit unire Parochiam T. quoad temporalia simul, & spiritualia sub limitatione, ut in ea ponatur Vicarius perpetuus, non amovibilis ad nutum: id, quod fecisse censetur Martinus V. in præsentis sua Bulla, ubi statuit, Vicario perpetuo relinquentem ex proventibus Ecclesiæ portionem congruam, quæ ipsi sufficiat ad suam sustentationem, solvenda jura Episcopalia, & reliqua onera ipsi incumbantia supportanda, ut pariter dictum est num. præced. quam dispositionem, cum illa constituat jus particulare, ignorasse censetur S. Pius V. Constitutionis cit. Author, & hæc Constitutio, cum derogat juri Ordinariorum, habentium ex Decreto Tridentini potestatem in quibuscunque Beneficiis unitis, non exceptis, ponendi Vicarios perpetuos, ita interpretanda est, ut quàm minimè præjudicet huic illorum juri.

Ad 6. & 7. licet tres ultimi Sacerdotes 27.
sæculares, qui per 82. annos administraverunt Parochiam T. non fuerint propriè Parochi, sed Vicarii, eò quod Reverendissimus Abbas ob unionem, Monasterio suo factam, manserit Ecclesiæ istius Rector, & Parochus principalis, tamen non quidem ipsum Beneficium Parochiale (quippe quod per unionem hanc omnino fuit ex-

extinctum.) sed ipsa Vicaria ob clausulam instrumento unionis additam de Vicario perpetuo ibi constituendo semper fuisse censetur secularis, cum talis Vicariæ perpetuæ Clerici Regulares capaces non sint, Si verò per inconcessum fuisset aliquando Vicaria ista Regularis, tamen intra hoc tempus 82. annorum, quibus Clerici sæculares investiti, & intitulati eam administrarunt, eadem Vicaria, si non jure præscriptionis, saltem per conniventiam, & patientiam, quâ Reverendissimus Abbas, & Monasterium permisit illos investire, & intitulari, migrasset in sæcularem, præsertim cum accesserit Prohibitio ex parte Ordinarii, & acquiescentia ex parte Monasterii, quæ utraque patet in casu, ubi penultimus Vicarius sæcularis, juxta antiquam consuetudinem à Reverendissimo Abbate fuit præsentatus pro cura animarum accipiendâ, & prout dictum est num. 24. præsentatio hæc non fuit admissa, & petita, ut præsentaretur etiam pro institutione, cui petito etiam Reverendissimus Abbas paruit, & novâ factâ præsentatione, pro institutione illius supplicavit.

28. Ad 8. jam supra concessum est, etiam stante, quod ad beneficium, ad mensam Monasterii unicum, ex accidenti instituatqr Vicarius perpetuus, Abbas Monasterii, cui illud unitum est, adhuc maneat Parochus, & Rector principalis, & retineat curam in habitu, sicque vi hujus unionis per se de jure posset præsentare Vicarium temporalem, sæcularem, vel Regularem; id tamen intelligendum est cum clausula, nisi aliter dispositum sit in instrumento unionis, aut per conniventiam, & patientiam Abbatis, & Monasterii, vel completæ præscriptionis Vicaria talis Ecclesiæ ex Regulari migraverit in sæcularem, eamque perpetuam. Quod additum est ad 9. num. fundamentum de alienatione prohibita quoad res, & jura Ecclesiastica, cujus speciem habet præscriptio juris præsentandi Vicarium temporalem; etiam Regularem, prohibitio intelligenda est de alienatione voluntaria, non de necessaria, qualis est præscriptio jurium Ecclesiasticorum; hæc enim sit sine consensu, imò cum ignorantia illius, contra quem præscribitur, & à jure ipso admittitur, quippe quod certum tempus constituit, intra quod contra res, & jura Ecclesiastica compleri præscriptio debeat.

29. Ad 9. num. casus in hoc fundamento propositus, à præsentati est potius diversus; nam in priori casu imò Episcopus volebat Vicarias, in eo allegatas, exclusâ nominatione, vel præsentatione Vicarii, ab Abbate, cujus Monasterio unitæ ad mensam erant illæ Ecclesiæ faciendæ, conferre per concursum; hic autem jus nominandi, & præsentandi Vicarium pro Parochia T. in controversiam nequaquam R. P. Schmalzgrueber Consilia.

trahitur. Item 2. in priori casu non constabat, quod nominatio aliqua Capituli fuerit rejecta ab Ordinario, & ita deventum fuerit ad actum prohibitionis cum subsecutâ acquiescentia Capituli; hic autem constat, quod Ordinarius præsentationem Domini Christophori D. ubi supplicabatur pro admissione ad curam, rejecerit, & petierit, ut peteretur etiam ejus institutio, quod etiam factum est, & sic Ordinarius, si antea non fuisset, constitutus fuit in possessione ponendi in dicta Parochia Vicarium perpetuum. Denique 3. in priori casu præsumebatur error tam ex parte Abbatis, quam ex parte Ordinarii; hic autem ex parte Reverendissimi nullus præsumi potest error, quippe qui allegavit antiquam consuetudinem. Puto ergo, in præsentati casu etiam in Curia Romana cum spe victoriæ litem moveri à Monasterio non posse.

APPENDIX

Ad præcedens Consilium.

30. Vacante memoratâ Vicariâ, Reverendissimus Dominus Abbas, dum de successore disponderet, eumque Celsissimo Ordinario præsentaret, Parochiam istam procurandam dedit cuidam Patri ex Venerabili Conventu; invento autem subjecto idoneo, illum præsentavit memorato Celsissimo, qui etiam præsentationem hanc acceptavit, & præsentato per literas, 14. Nov. anni 1732. emanatas, Vicariam istam in titulum contulit.

In his literis Reverendissimum Consilium Ecclesiasticum iniquè tulit, quod post mensem Decanalem Reverendissimus Parochiam quæst. interea provideri curaverit per unum ex suis RR. Patribus Regularibus, ex sequentibus rationibus. 1. Quia dicta Parochia in T. nunquam pro beneficio Regulari, sed semper pro sæculari habita fuit, & agnita: ut adeò, cum de jure beneficia sæcularia à sæcularibus procurari debeant, 2. memoratum Consilium Ecclesiasticum contra dispositionem istam, tanquam Celsissimo Ordinario unicè competentem, adeoque ipsius juribus præjudiciosam, necessario protestari debeat.

QUÆRITUR I.

Quo jure censeatur incorporata esse dicta Ecclesia?

31. Audatum Consilium Ecclesiasticum videtur manutenere velle, quod Parochia sit

(Q9992)

fit

fit tantum incorporata quoad temporalia. Ex quo sequitur, quod in sic incorporato beneficio Abbas, aut Capitulum nihil ferè juris habeat circa personam Presbyteri, qui est positus in Ecclesia ita incorporata, sive circa curam populi: ac proinde sine consensu Episcopi, cui populus subiectus est, Reverendissimus Dominus Abbas in Ecclesia sibi unita nec instituere Presbyterum potest, nec institutum destituerè.

Abb. in c. 3. n. 6. de privil. Laym. in c. 2. n. 7. de supplend. neglig. Prala. Leuren. for. benef. p. 2. q. 218. n. 3. Pirhing. ad tit. de prab. n. 216.

Imò non est necesse eo casu, ut præsentatio Presbyteri ad Monasterium, vel Capitulum, cui facta est incorporatio, spectet: & si habet jus præsentandi Episcopo Diocesano præsentare eundem debet, ab eo instituendum, prout constat ex

c. in Lateranensi 31. de prabend.

32. Fundamentum huius asserti est ferè unicum, scilicet; quia Vicario perpetuo assignata fuit portio congrua ex redditibus ejusdem Ecclesiæ: quod adjuvari potest imò quia, ut cum aliis monet

Pignat. tom. 1. consule. 136. n. 15.

in dubio præsumi debet incorporatio facta esse quoad temporalia tantum; semper enim ea capienda est interpretatio, quæ minùs præjudicatur Ecclesiæ unitæ. Minùs autem præjudicatur illi, per incorporationem simplicem, seu quoad temporalia tantum, quàm per eam, quæ fit pleno jure, seu quoad spiritualia simul & temporalia. Accedit 2dò, quia, ut dictum est num. præc. Parochia ista semper habita est pro beneficio sæculari.

33. Verum, his non obstantibus, censenda est unio, seu incorporatio Ecclesiæ Parochialis in casu substrato facta fuisse etiam quoad spiritualia, ita, ut Parochia T. censeatur Monasterio N. unita velut accessorium principali. Cujus unionis, præter alios, recensitos à

Clericat. de benef. discord. 75. & segq. & Leuren. for. benef. p. 3. q. 883.

is est effectus, ut per eam beneficium sic unitum quasi extinguatur; quia assumit naturam, qualitates, & privilegia beneficii principalis, cui adhæret.

Rebuff. prax. tit. de union. benef. n. 12.

Sanch. lib. 2. moral. c. 29. n. 146.

Laym. lib. 4. tract. 2. c. 9. n. 2. §. alter modus. Palao tract. 13. D. 6. p. 12.

n. 4. Leuren. q. 883. cit. n. 2. Clericat.

discord. 75. cit. n. 5. Pirhing ad tit. de

prabend. n. 203. Jacob. Emerix decis.

1296. n. 7.

34. Proinde beneficium accessorie unitum non vacat, mortuo, vel remoro Rectore principali; quod enim est extinctum quoad nomen, & titulum, vacare non potest.

Garc. de benef. p. 12. c. 2. n. 15. & 16. Rebuff. n. 12. cit. Pirhing. dist. n. 202.

Solum ergo, mortuo Rectore principali, vacabit illud beneficium, cui unitum est, & cum quo unum beneficium factum est; nam beneficium ita unitum fit quasi prædium illius beneficii, vel Ecclesiæ, cui unitum est: ac proin semper penes istam manet, & ab ipsa, tanquam personâ fictâ, possidetur. illud autem beneficium, quod legitimam possessionem habet, non vacat.

Eadem ex ratione sequitur, per hujusmodi unionem auferri collationem beneficii ita uniti, & potestatem id conferendi; cum enim beneficium nullum conferri possit, nisi vacet, consecraneum est, ut postquam per unionem impedita est ejus vacatio, etiam impediatur illius collatio.

Gonz. ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §.

7. n. 20. Card. de Luca de Paroch.

disc. 12. n. 13. Leuren. q. 883. cit. n. 5.

Clericat. discord. 13. n. 3.

Hinc apud DD. commune dictum est, nihil magis repugnare unioni, quàm suppositio collativi statûs.

Clericat. discord. 16. n. 3.

Licet autem ipsum beneficium, sic unitum, non vacet, tamen vacabit per mortem Vicarii perpetui, in eo positi, ipsa Vicaria, quippe per cujus erectionem erectum est quasi novum beneficium, quod proinde, cedente, vel decedente Vicario perpetuo, alteri conferri potest.

36. Quod verò Parochia quæst. unita sit Monasterio non tantum quoad temporalia, sed etiam quoad spiritualia, colligi potest imò ex ipso instrumento unionis, ubi Parochia ista incorporatur cum omnibus pertinentiis, inter quas præcipua est jus spiritualium, exercendum à Vicario perpetuo in vicem Parochi principalis, qui proinde in Ecclesia, in qua institutus est Vicarius perpetuus, curam in habitu retinet, & ideo Parochiales redditus ferè quoad potiorem partem percipit, ipsaque Parochia potius ipsius, quàm Vicarii esse dicitur, ut notat

Laym. in c. 3. de Offic. Vicar. n. 1. nam talis Prælati, cui sic unita est Ecclesia quædam Parochialis, ex vi

Reg. qui facit. 71. n. 6.

juxta quam, qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum, administrare illam ipse censetur.

37. 2. Indicat hunc ipsum modum incorporationis ipsum nomen Vicarii, quod instrumentum unionis, in casu substrato dat Presbytero, ad exercendam curam in Ecclesia memorata ponendo; nam Vicarius Parochialis non potest esse, nisi sit aliquis Vicarius, cujus loco curam exerceat. Atqui, si Parochia quæst. incorporata tantum Monasterio N. esset quoad

temporalia, Presbyter, in ea constitutus pro exercenda cura, hanc non exerceret loco, & nomine Monasterii, quippe quam, posito dicto incorporationis tantum quoad temporalia modo, nec in actu, nec in habitu obtineret. Proinde, cum per

Reg. potest quis 68. in 6.

solum possit quis facere per alium, quod potest facere per seipsum, Presbyter, institutus in Parochia unita tantum quoad temporalia, non poterit esse Vicarius ejus, cui sic unita est Parochia, sed erit verè Parochus, quippe ad quem tota cura tali casu tam in actu, quam in habitu pertinet. Contrà in casu unionis etiam quoad spiritualia Presbyter, institutus in Parochia sic unita, vocari debet non Parochus, sed simpliciter Vicarius, etiam si perpetuus sit, ille autem, cui ista sic unita est, dicetur Parochus, seu Rector ejusdem principalis, quippe qui eo casu curam in habitu retinet, exercendam etiam in actu, si Vicarius perpetuus Vicariâ suâ cesserit, vel decesserit, donec alius substituatur. Confirmatur hoc

38. 3. Quia Reverendissimus Dominus Abbas deputat Vicarium ad Ecclesiam quæst. exigit fructus, ex ea provenientes, potest locare decimas &c. quod ex dicto

Rotæ in Calagurritana quarta funeralis de Naxora coram Emerix rom. 1. decis. 1023. n. 6. quæst. benef. p. 3. c. 141. n. 10. & seqq.

est signum unionis, etiam quoad spiritualia, ibi deputatio Vicariorum pro exercitio cura actualis, locatio decimarum, & exactio fructuum, facta ab Abbate Monasterii, cui unio facta fuit, sunt signum unionis. Neque obest, quod in memorata Parochia ex tenore instrumenti unionis ponendus sit Vicarius perpetuus; nam ut

Card. in Clem. 1. n. 10. de Offic. Vicar. apud Rot. in Gerundensi Hebdomadaria coram Ursino, & Card. de Luca decis. 27. de benef.

notant, Vicaria, etiam perpetuo collata in titulum, non excludit, quin cura per modum cujusdam juris, & in habitu sit apud Abbatem, non verò in actu; cum enim jus, & titulus beneficii sit indivisibilis, ideo simul actu non possunt esse duo Parochi ejusdem Parochiæ, bene tamen unus in actu, alter in habitu. In actu habebit Vicarius perpetuus, quippe cum cura Parochiæ ipsi sit attributa; principalis verò Rector in habitu, à quo proinde Vicarius perpetuus in spiritualibus non dependet, si (ut regulariter debet) sit ab Episcopo institutus, & intitulus.

Laym. in c. 2. n. 10. de supplend. neglig. Pralat. Pirhing. ad tit. de prob. n. 220.

39. Ex quo ruit fundamentum, num. 32. in contrarium allatum. Imò ex hoc ipso con-

firmatur assertio, quod Parochia in T. sit etiam incorporata Monasterio N. quoad spiritualia, nam, ut DD. citr. à

Rot. in Carpentoratenfi Vicaria coram Emerix decis. 354. n. 7.

ait, in Vicarium non dicitur translata cura etiam habitualis, si ipsi assignata fuerit certa congrua. Proin cura in habitu manet penes eum, cui incorporata est talis Parochia: quod fieri non posset, si illa unita solum esset quoad temporalia, quippe quæ ei, cui sic incorporata est, nunquam competit. Confirmatur ex alia decisione

Rotæ in Pampilonensi jurium Parochialium coram Ottalora decis. 49. n. 20. part. 15. recent.

ubi, si Vicario, inquit, non solum sua congrua fuerit reservata, sed ulterius additum, quod jura Ecclesiastica solvat, non exinde excluditur totalis unio Parochialis.

Ad imam confirmationem, dubium, an incorporatio in casu subtrato facta sit quoad temporalia tantum, an etiam quoad spiritualia, resolvunt argumenta num. 36. & duob. seqq. allata; nam imò juxta instrumentum unionis incorporata Monasterio N. est Parochia quæst. cum omnibus pertinentiis, adeoque etiam quoad spiritualia, per Vicarium perpetuum exercenda, quippe quod est præcipuum ex pertinentiis Parochialibus. 2. In eodem instrumento injungitur Reverendissimo Abbati, ut in dicta Ecclesia ponat Vicarium perpetuum, qualis non est ille, qui procurat Parochiam unitam alteri tantum quoad temporalia. 3. Idem Reverendissimus deputat Vicarium ad exercendam curam: quæ deputatio non competit per se ei, qui unitam sibi habet Ecclesiam Parochialem quoad temporalia tantum, quippe cum ille per se, & vi talis unionis non habeat jus præsentandi ad illam.

Ad 2dam confirmationem, positâ incorporatione etiam quoad spiritualia, tam Celsissimus Ordinarius, quam Monasterium habet illæsa sua jura omnia, quæ utrique occasione talis unionis à SS. Canonibus conceduntur; nam imò Monasterium habet jus nominandi, & præsentandi Vicarium perpetuum: quæ nominatio, & præsentatio per

c. audientiam 1. de Offic. Vicar. & declarationem Cardd. teste Garc. de benef. p. 9. c. 2. n. 294.

regulariter pertinet ad Rectorem principalem, qui Parochiam suæ Ecclesiæ, dignitati, Monasterio &c. unitam habet. 2. Celsissimus Ordinarius, quando, cedente, vel decedente Vicario, vacat Vicaria, præsentatum novum Vicarium instituit: quæ institutio per

c. adhuc 3. dict. tit.

fieri debet ab Episcopo, postquam examinatus

(Q9993)

natus

40.

41.

natus ab illo, & ad curam exercendam habilis inventus est: & merito; quia Vicaria perpetua inter beneficia computatur. At sine consensu, & autoritate Episcopi nullum beneficium erigi, vel conferri potest. 3. Celsissimus assignavit Vicario congruam fructuum portionem: quod per

c. sicut nobis 2. de supplend. neglig. Pralat. & c. de Monachis 12. de prob.

fieri ab Episcopo debet, tantaque hæc portio esse oportet, ut per eam decentem sustentationem Vicarius talis habeat, & hospitalitatem erga peregrinos, misericordiam erga pauperes exercere, jura Episcopalia solvere, aliaque onera supportare possit.

QUÆRITUR II.

Utrum, mortuo Vicario perpetuo, potuerit Vicaria ista interea, dum novus Vicarius institueretur, procurari per Patres ex Monasterio N.

42. **R**ationem dubitandi facit Reverendissimus Fiscus, quia, si Reverendissimus Dominus Abbas potuisset curam Ecclesiæ hujus commendare alicui ex Patribus sui Monasterii, debuisset etiam excludere mensem Decanalem, & statim post mortem Vicarii perpetui exponere interea Vicarium temporalem. Dum ergo istud non fecit, & permisit, ut Ecclesia hæc procuraretur per Sacerdotem, à Decano rurali substitutum, primo mense ab obitu Vicarii, videtur ipsemet fassus esse, sibi non competere jus procurandi Parochiam per Sacerdotem à se interea ad id expositum. Sed hoc non obstat; nam hoc factum est juribus Monasterii non bene consideratis: quod factum propterea iisdem juribus præjudicare non potest. Ratio est, quia pro hoc jure exponendi interea Vicarium temporalem militat deducta ad quæstionem Iam

Ostensum in hac quæstione est, dictam Parochialem Ecclesiam incorporatam Monasterio jam à Martino V. fuisse etiam quoad spiritualia; quod præter alia deductum fuit, quia incorporatio hæc facta est Monasterio cum omnibus pertinentiis, inter quas etiam est jus spirituum, reservatâ tantum portione congrua pro Vicario perpetuo constituendo. Proinde Reverendissimus Dominus Abbas, & Conventus N. non tantum jus Patronatûs habet, sed etiam est Parochus, & Rector dictæ Ecclesiæ principalis, is verò, qui curam Parochianorum Ecclesiæ istius administrat, est tantum Vicarius venerabilis Monasterii: & sic Parochia ista quâ talis nunquam vacat, etiam per mortem Vicarii, vel cessionem illius, licet ipsa Vicaria tali casu vacet.

Quo casu, si persona Parochi principalis sit apta ad curam administrandam, hæc quoad actum etiam redit ad ipsum Rectorem principalem, & potentia habitualis, quam habebat, vivente Vicario ipsius, hujus morte in actum exit, ita, ut eo tempore, donec ab ipso præsentatus, vel nominatus novus Vicarius Canonice institutus sit, administrare Sacramenta, aliæque Divina per se, vel per alium Vicarium temporalem, à se constitutum possit, ut cum aliis notant

Laym. de Elect. Pralat. q. 208. Pirhing. ad tit. de prob. n. 220.

Et suadet etiam ratio; nam omnes farentur, in ejusmodi Rectore principali manere curam quoad habitum, & ideo solum, quia illa quoad actum translata est in Vicarium. Igitur solum ligata fuit cura in Rectore principali ob jus datum Vicario. Hoc impedimentum autem morte Vicarii cessat. Proinde nihil prohibet amplius Rectorem principalem, ne cura, quam habitu retinuit, mortuo Vicario in actum exeat. Potuit ergo jure suo Reverendissimus Abbas exponere aliquem ex suo Monasterio, qui suo nomine curam animarum exerceat.

CONSILIUM LXXIII.

In puncto petiti Divortii ob uxoris in maritum lævitiam.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Ob lævitiam mariti conceditur Divortium.

3. Idem est, si continua sint rixa & jurgia.
4. An etiam ob verbera?

S. Ap.